



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

VI. Markgraf Johann bittet den Bischof Friedrich von Brandenburg die Kirchen zu Eberswalde und Hegermühle in einer der jetzigen Bedeutung dieser Orte angemessenen Weise zu verbinden, da früher die ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54734)

rado, dicto de Vinowe et Magistro Conrado hereditatem molendini nostri in nova Civitate Everswolde, presentibus resignamus, damus etiam et donamus eisdem, ut hereditatem prefati molendini pro vera hereditate possidere debeant pacifice et quiete, sub hac tamen forma: sepe fati Conradus de Vinowe et Magister Conradus nobis de molendino jam dicto annis singulis triginta sex choros filiginis erogabunt, volentes etiam, ut villani istarum villarum videlicet Carutz, Gherardestorp et Sommerfelde cum eorum filigine et braseo ad molendum molendinum predictum in Everswolde frequentare non obmittant: si vero prenominati villani secus fecerint et si depreheni fuerint, equos et currum cum annona iidem Conradus et Conradus nostri molendinarii obtinebunt, advocato vero nostro pro pena quatuor tal. denariorum perfolvent indilate. Volumus etiam, ut universi nostri cives in nova civitate commorantes, filiginem, ordeum et annonam ad molendum nostrum deducant, causa molendi, et inde erogent jus consuetum, prout actenus erogarunt. Insuper volumus, ut villani filiginem et braseum, quem aut quod in eadem nova civitate ad expensas eorum emerint, ibidem ad molendum deducere non recuset, si vero non fecerint penam incurrent superius nominatam. Item eisdem Conrado et magistro committimus damus et concedimus, ut ligna ipsis ad molendum necessaria in mercis nostris videlicet Droghenizce et Werbelin secare valeant pacifice et quiete impedimento quolibet procul moto. In cuius rei testimonium presens dedimus scriptum sigilli nostri munimine communitum. Hujus facti testes sunt Buffo Growelhut, Droyfiko, nostri dapiferi, Jacobus Sparre, nostri milites et vasalli, et alii quam plures fide digni. Datum Jerichowe, per manum Slothekini, Anno millesimo tricentesimo septimo, feria secunda post ascensionem Domini.

Nach dem Abdruck vom Original n. v. b. Hagen's Beschr., S. 239, wo jedoch das Datum verschrieben ist.

VI. Markgraf Johann bittet den Bischof Friedrich von Brandenburg die Kirchen zu Eberswalde und Hegermühle in einer der jetzigen Bedeutung dieser Orte angemessenen Weise zu verbinden, da früher die Kirche zu Hegermühl die Mutterkirche der zu Eberswalde war,
am 21. März 1316.

Reverendo in Cristo patri ac domino Friderico, Ecclesie Brandenburgensis Episcopo, Johannes Dei gratia brandenburgensis et Lusatie Marchio, paratam ad singula voluntatem. Cum ecclesia in Everswald dum adhuc ipsa civitas villa esset, dinoscatur ecclesie in Heghermolle aliquando tanquam matri filia fuisse subjecta et annexa, et ex hujusmodi connexitate adhuc de mansis dicte civitati adjacentibus plebano in Heghermolle annona et denarii modiales annis singulis exsolvantur; De quo duo inconvenientia concurrerunt: unum quidem, quod onerosum est et absurdum, ut plebanus in Everswolde ministrando sacramenta ecclesiastica dictorum manforum possessoribus dictis modiis annone et denariis defraudetur, cum ad ipsum saltem de jure communi potius pertinerent: Secundum vero est, si dicti denarii et annona exsolvantur ecclesie in Everswolde, detrahendo et derogando ecclesie in Heghermolle, dicta ecclesia in Heghermolle in nichilum redigetur, nec propter fructuum tenuitatem potest subsistere quoquo modo. Ut igitur hec inconvenientia in totum tollantur, vestre reverentie supplicamus instanter, quatenus de his duabus ecclesiis constituere de plenitudine vestri officii dignemini unum corpus, ad cuius

unionis constitutionem nostre voluntatis consensum expressum per presentes literas vestre Reverentie duximus transmittendum, Affectantes et consentientes expresse ut vestra dignitas, si cause premissæ ad unionem non suffecerint, causas magis excogitet efficaces. In cujus rei perpetuam firmitatem nostro sigillo muniri iussimus presens scriptum. Testes quoque sunt, quorum etiam consilio predictis consensimus, illustris Domina, Anna Ducissa Wratislaviensis nostra genitrix dilecta, Bussio Grewelhut, Christianus de Gherardistorppe, Henningus de Vorland et Bussio de Mylow, milites, Johannes de Gorlitz et Hermannus de Frankenvord, plebani, nostri Cappellani, cum aliis pluribus fide dignis. Datum Spandowe, Anno domini MCCCXVI, Dominica Letare.

Nach von der Hagen's Original-Abdruck in der Beschreibung, S. 241.

VII. Bischof Johann von Brandenburg stellt die ursprüngliche Verbindung der Kirchen zu Eberswalde und Hegermühl in der Art wieder her, daß Hegermühl, die frühere Mutterkirche, in das Verhältniß einer Tochterkirche zu der Eberswalder Kirche tritt, am 12. Januar 1317.

Johannes, Dei gracia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus — licet olim ab antiquis temporibus, loco in Everswolde parva villula existente, Ecclesia ibidem ecclesie in Heghermulne unita fuerit et subjecta, postmodum vero tempore procedente predicto loco in Everswolde crescente et ad instar opidi firmato ac populo ibidem vehementer aucto per quosdam predecessores nostros predicta ecclesia in Everswalde a prefata ecclesia in Heghermulne separata fuit et diuisa, ita quod e quibusdam prediis, sitis in Parochia Euerwolde, que homines eiusdem parochie excolere consueverunt, ecclesie in Heghermulne annona modialis loco et nomine predialis decime solueretur. Verum cum de jure communi decima predialis soluenda sit illi ecclesie, in cuius territorio sita sunt predia et maxime quando per homines illius ecclesie huiusmodi predia excoluntur, cum etiam Rectorem ecclesie in Everswolde, qui pro tempore fuerit, propter illustrium Principum Marchionum Brandenburgensium, qui assueverunt ibidem aliquociens cum sua curia residere, frequentem presenciam et propter nobilium concursum et confluentiam ibidem oporteat necessario facere sumtus majores solito et expensas, et cum etiam redditus ecclesie in Heghermulne, eciam cum predicta annona modiali, adeo sint tenues et exiles, quod plebanus ibidem non possit commode ex eis jura Episcopalia persolvere, hospitalitatem tenere et congruam sustentacionem habere; Nos cupientes in premissis casu salubrius providere, ad petitionem Illustris principis Johannis Marchionis Brandenburgensis Patroni earundem Ecclesiarum et ad requisitionem inclite domine Ducisse Wratislaviensis de consensu capitulo nostri predictas ecclesias reunimus, subjicientes ecclesiam in Heghermulne ecclesie in Everswolde tanquam filiam sue matri. Hanc autem unionem seu subjectionem tunc demum, cum Ecclesiam in Heghermoln vacare contigerit, vires volumus optinere — Datum Berlin, Anno dom. M. CCC. XVII Pridie jdus Januarii.

Aus Seidel's handschr. Urkunden-Sammlung, S. 21, 22.